

binas habent, non audiendæ tantum, sed  
 & examinandæ per vices atque iudicandæ.  
 Quinimò Conciones à Reuerendis Ecclesiæ  
 ministris publicè habitæ resoluendæ subinde,  
 ac repetendæ, ostensis dispositionis atque ap-  
 plicationis artificijs, ut fructuosa imitatio-  
 ne exprimi olim possint ab iis, qui ad sacrū  
 Ecclesiæ ministeriū preparantur: Nihil nunc  
 dicam de perpetuis illis textus Biblici expli-  
 cationibus, quæ bis in dies singulos pro mo-  
 re ac consuetudine illustris Collegii huius  
 nusquam satis laudatâ ita instituuntur, ut  
 & à concionandi forma non longè absint,  
 nec minus ad concionandi praxin, quâ scho-  
 lasticam eruditionem suo quodam scopo ac  
 fine necessario referantur. Quod idcirco  
 hîc narro, candide lector, ut videas nihil  
 me fecisse ab eo officio meo, in quo nunc qua-  
 driennio sub Serenissimi Principis Electoris,  
 Domini mei clementissimi patrocínio ver-  
 sor, alienum, si in iis, quæ ad concionem piè  
 recteque formandam atque habendam per-  
 tinent præceptis, studii atque industriæ par-  
 tem aliquam occupavi. Sed id ego vehe-  
 menter opto, & futurum etiam confido,  
 optime lector, ut non tam auctoris personam  
 respicias, quàm operis ipsius scopum, methodum,